

Johann Bacmeister

**Programma Quo Rector Academiae Rostochiensis Joannes Bacmeisterus, D.
Med. & Sup. MATH. Prof. P. Ad Exequialium iustorum exsolutionem Quam piis
Manibus ... Anna Idae, Vidiuus Moestissimus Vir ... Dn. Joannes Festingius, U.I.D.
& Profess. huius Academiae ... Suoque in ipso utcro Materno Extincto Filiolo
Hodie ... expetit, Omnes Omnium Ordinum Cives Academicos ... invitat : [P.P. die
XXV. Octobr. Anno CI IC LXXXIII. Sub Sigillo Rectoratus]**

Rostochi[i]: Wepplingius, [1683]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774757949>

Druck Freier  Zugang



Bacmeister, J.,

in

A. I. S o l t o v,

uxor. J. Festing.

Rostock. 1683.

16.

PROGRAMMA

RECTOR

ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS

JOANNES BACMEITERUS, D.

Med. & Sup. Math. Prof. P.

Ad Exequialium justorum exsolutionem

piis Manibus

Fama honestissima, omniq[ue] Virtutum apparatu ornataissima

ANNÆ IDÆ,

Viduus Mœstissimus

V I R

NOBILISSIMUS, AMPLISSIMUS AC
CONSULTISSIMUSDN. JOANNES
FESTINGIUS,U. J. D. & Profess. hujus Academiz cele-
berrimus, Consiliariusq[ue] Megapolitanus
tissimus, Collega & amicus noster per-

perim colendus

Suoq[ue] in ipso utero Materno Extincto Filio

Hodie hora prima in Templo Marian-

piè præstari expetit,

Omnes Omnia Ordinum Cives Academicos
officiosè & peramanter invitati;

R. Rosdok; Prae. W. EPLINGIANO, Acad. Typogr.





Itam Hominum mare
mortuum qui vocant & imagi-
nantur, toto cœlo aberrant, &
næ gravissimæ allucinantur. Non
enim Homo Paradiso felicitatis
& tranqüllitatis fruitur, sed o-
mnibus fortunæ malorumque
incursionibus expositus est. Non
delicata res est vivere; longam,
calamitosam & quasi cadavero-
sam viam ingreditur, quicunque in hanc vitæ humanæ sce-
nam introit. Per multas offensas, calamitates, casus, lu-
bricitates & spinosa mala emetiendum est iter hoc: Labi-
tur, arietatur, cadit, lassatur, offenditur: In proximo
MORS est; quocunque Homo se verterit, pervius est: quæ-
libet Vena, quilibet Spiritus ad mortem concitatur: omne
tempus, omnis hora, omne punctum docet, quam Natu-
ra ad perpetuam firmitatem & constantiam non sit arma-
ta, quam facile impingat, & renunciet Vitæ Mundiq; de-
liciis, & voluptatibus contragolis dicat VALE. Euripides
Tragicus vitam hominum non vitam, sed calamitatem ap-
pellabat. Et altissimæ sapientiæ bonæque mentis imago,
Seneca in Consol. ad Marciam cap. ii. Quid est homo, que-
rit? quodlibet quassum vas, & quodlibet fragile jaclatu, non
tempestate magna, ut dissiparis, est opus. Ubicunque arietaveris,
solveris. Quid est homo? imbecillum corpus, & fragile,
nudum, suapte naturæ inerme, alienæ opis indiger, ad omnem
fortunæ contumeliam projectum: cum bene lacertos exercuit,
cujuslibet fere pabulum, cuiuslibet victimæ, ex infirmis fluidis-
que contextum, & lineamentis exterioribus nitidum, frigoris,
astus, laboris impatiens. Et, si Aristoteli credendum, Homo
nihil

nihil aliud est, quam imbecillitatis exemplum, temporis
spolium, fortunæ lulus, inconstantiae imago, invidiae & ca-
lamitatis trutina, reliquum vero PITUITA & BILIS: ut
non immerito exclamat Lycurgius: Φάνετο μηδεν εστιν αρ-
θρώτας φύσις. Humana, vah! natura quam prorsus mala
est. Refer enim, si placet, Hominem ad Mundum, nihil cer-
te imbecillus terra nutrit hominem; Refer ad Bruta: Ho-
mo, teste Seneca, perniciosior est omnibus Feris: Refer ad
Hominem: Nulla, inquit idem Seneca, tam detestabilis
pestis, quæ homini ab homine non nascatur, & verè homo
homini Lupus: Refer ad se ipsum. πολέμου αρδεωπός αὐ-
τῷ τῷ αὐτῷ dicebat Anacharsis: Nihil homini magis infestum,
quam ipse sibi ipsi est: & teste Epicteto: Nullus homo nisi
a seipso laeditur: Refer deniq; ad DEUM: Nempe Homo,
ut Plutarchus refert, nec DEUM Patrem, nec Cælum patri-
am amplius novit; & cui ob id jure, ut Hermes dicebat,
Mundus factus est carcer, & corpus sepulchrum. Quantis,
quæso, cum calamitatibus conflictatur hæc vita nostra? In
foro sunt lites: domi curæ; rurilabores: in maritimor: in
peregrinatione, si quid habes, metuendum; si nihil, mo-
lestum est: Uxorem duxisti, quot ibi mala vides? innuptus
es? eò magis solitariam vitam agis. Liberi dolores pâriunt:
Orbitas vitæ est in jucunda: juventus stolidæ est, senectus
infirma: ac ne cætera, quæ id genus infinita ferè sunt, con-
secuter, quid sunt Oppida & communitates hominum aliud
quam, ut Solon dicere solitus est, miseriarum humanarum,
domicilia? quibus luctus, mœrores, tristitia mortalium qua-
si septis includerentur. Omnium autem rectissimè & sin-
gulari cum energiâ vitæ hujus miserias expressit S. Sanctus
per Moisen, potissimum scilicet in Vitâ nostrâ esse LABO-
REM & DOLOREM. Eo autem Hominum miseria & ca-

amitas major est , quò plerique cœciores & stolidiores sunt
in suis miseriis cognoscendis & æstimandis. Pleriq; ægro-
tis similes sumus, qui in gravi morbō amplius dolorem non
sentiunt, seqve recte valere putant, cum morti sint vicini.
Tum autem miseria ad summum adscendit cacumen, cum
etiam illos, quos premit, incipit oblectare. Absque hoc
autem stupore nostro esset, quotus quisque Christianorum
reformidaret Mortem, quæ finem imponit culpis pariter &
pœnis illorum hominum, qvi in CHRISTO moriuntur.
Mercenarii, qui totō die ærumnabili labore exercentur,
anxiō desideriō expectant vesperam, qua à laboribus suis so-
luti gratā quiete perfruuntur. Nautæ totō die in turbulen-
tē pelago jactati ventō pariter & remigio, & omni virium
conatu ad portum contendunt, ubi tutō tandem possint con-
sistere. Viatores, nullis locorum delitiis aut difficultatibus
inhiberi se patiuntur, quo minus ad instituti sui itineris me-
tam anxiè festinent ac anhelent. Nos contra Homines
ærumnabilis vitæ labor continuo fatigat, nos vitæ humanæ
pelagus, ut supra indicavimus, ventis & fluctibus suis assidue
jactat; nos calamitosa vitæ mortalis peregrinatio frigore &
æstu, fame ac siti, pluvia, nive & grandine, variisque tempe-
statibus perpetuo exercet: Tamen si eminūs contempla-
mur vitæ nostræ vesperam appetere, nostræ jactationis quie-
tem, aut miserè quassatae navis tutam stationem in propin-
quò esse, aut denique peregrinationis nostræ metam esse jam
in proximo, exanimati & attoniti trepidamus & exhorres-
timus. Resignandum qvidem hisce caducis tandem no-
vimus, cupimus fortean etiam, sed nondum; expetimus
naturæ solvere, qvod debemus, sed nondum; desideramus
solvi corporis vinculis, sed nondum.. Adeò deliramus
miselli, ut velimus desinere esse miseri, sed nondum; ut fe-
lices

lices & beati esse ambiamus, sed nondum. Ita mori nolu-
mus, qui mori optamus, Mala ad mortem præparatio est,
mori nolle. Inducia non paucos deteriores fecerunt. Ma-
ximum sanè illud incredulitatis nostræ argumentum & do-
cumentum est. Perinde ac si per mortem omnia aboleri
statueremus, aut illa vitæ æternæ bona non expectaremus,
ad qvæ per mortem fit transitus, qvæ morte suâ CHRI-
STUS nobis promeritus est. Longè alias Spiritus in præ-
cordiis divi Apostoli Pauli agitabat, cum diceret. *Vita*
mibi Christus, mori mibi lucrum. Cupio dissolvi & cum Chri-
sto esse. In Christo namque, verba sunt Ambrofii, omnia
babemus, & omnia nobis Christus noster. Si à vulnere curari
desideramus. Medicus est: Si tenebras fugimus, Lux est: se-
curitatem querimus, Asylum est. Si mortem timemus, Vita
est: Si cœlum desideramus, Via est. Id secum reputans.
& Benedictam hanc ex fructifero intemerata Virginis sti-
pite evirescentem Propaginem ulnis suis intempslo Hiero-
folymitanò excipiens, pius & solatium Israelis præstolatus
senex Simeon, exclamavit; *Nunc dimittis, Domine, ser-
vum tuum in pace.* Eandem Salvatori suo cohabitandi
aviditatem, prodidit suô tempore *Hilarion Abbas*, qvem
letaliter decumbentem locutum fuisse, in vitâ ejus Hierony-
mus recenset. *Egredere, quid times? egredere Anima mea,*
*quid dubitas? Septuaginta propè annis serviisti Christo, & mor-
tem times?* Similem auræ vitalis omniumqve mundi de-
liciarum contemtum, & fervidum cum Christo vivendi
desiderium, in Fernando Castellæ Rege adfuisse, ideoqve
adversâ valetudine usum, hanc vocem: *Domine, morta-
lem vitam, Regnamqve temporale, qvæ mihi hucusqve largitus
es, jam tibi restituere gestio, tantum Animam meam in eternâ
luce jubeas collocari, emisisse, apud Rodericum Toletanum extat.*

A 3

Scie-

Sciebant qvippè omnes hi, qvod Caro & Sangvis regnum D^e
possidere, non possint, neqve illud, qvod corruptibile in se
est adire posse hæreditatem cœlestem & in corruptibilem:
neqve qvenquam adire posse cœlestis regni possessionem,
nisipriùs per mortem exuat ac deponat, qvicqvid terrestre,
ac caducum, imprimis autem vestem illam, quam circum-
ferimus, *Corpus* dico, quod quidam Philosophorum anti-
qvissimorum appellabat, indumentum injustitiae, funda-
mentum pravitatis, vinculum corruptionis, velamen opa-
cum, vivam mortem, sensitivum cadaver, sepulcrum cir-
cumportatile, domesticum denique furem, qui nos yetet
cœlò interesse, & jubeat capite esse in terram demisso. Nec
malè Græcus quidam dicebat, Corpus hominis dici debere
non δέμας sed δισμὸν, non σῶμα sed σῆμα, non corpus, sed
carcerem & sepulchrum, à cuius vinculis & deformitate
qvām ocyssimē liberari & expediri in maximā felicitatis par-
te jure ponendum sit. Qvi ergò nos, qvi Christiani audiri vo-
lumus, & per mortem nos ab omnibus illis ærumnis atq; mi-
seriis liberari, verbō DEI, luce veritatis edocti, rectissimē &
plenissimē novimus, meditatio Mortis timore percelleret?
Eqvò potius animō & nostram decretoriam mortis horam
expectemus, & eò qvidem æquiori, quò illa nos occupat
matrius. Nulla nobis festinatio debet esse gratior, nec
ulla nobis mora aut cunctatio iniquiori animo ferenda est,
quam qvoties à deterioribus ad meliora fit transitus. Un-
de non malè ab homine Ethnicò dictum οὐ οὐδὲς ψιλῆ
δοποθύσαι γέ. Quemcunque amar DEUS, ille Juvenis mori-
tur. In malis sane exantlandis ejus conditio & fortuna
semper habetur æquior, cui minor obtigit portio. Talis
autem est Vita humana, ut in illa semper felicius & beatius
estimandum sit VIXISSE, quam VIVERE, & in portu hujus
humaz.

humanæ vitæ pelagi fluctus, procellas & scopulos à tergo
respicere, quām illos adhuc à fronte expectare. Qvam
benè vivas refert, non quam diu; sēpē etiam in hoc est benè,
ne diu. Quotidie morimur, quotidiē commutamur, Et tamen
eternos nos esse credimus, verè queritur Hieronymus. Re-
ctè itaque Senex ille mihi sapere visus est, qui ab amico in-
crastinum ad convivium vocatus, cur, ait, me vocas in-
crastinum, qui à multis annis crastinum non habui, sed mortis
adventum in dies singulos expectavi. Nil de hodiernâ die pro-
mittendum est, inquit Philosophus. Nimis magnam ad voca-
tionem dedi. Nil promittendum est vel de horâ. Punctum
est, quod vivitur, Et adhuc puncto minus, gravissimè Seneca.
Surgant illa annosæ vivacitatis haud parvæ exemplaria, quo-
rum tam Sacra, qvām profana Historia facit mentionem,
& vitæ annos, qvos exegerunt, enumerent, punctum, cre-
dō, dicent, omne illud, qvod vixere, & adhuc puncto mi-
mus. Nox fuit omnis illa etas Et somnium, teste Chrysostomo,
Et die exorto nunquam comparuit; Umbra fuit Et pertransit;
Fumus fuit, Et dissolutus est; Bulle aquarum fuere, Et disruptæ
sunt; Aranerum tele fuere, Et discisse sunt. Omnis tempo-
rum longitudo, secundnm Hieronym: eternitati comparata
brevis, imò verò, addam ego, punctum est, Et si unum, Et si
mille quisque vivat annos, parum interest, nisi qvod, quò etate
gravior est, eò peccatis Et miseriis onustior, Et gravioribus jus-
dicii rationibus reddendis intricator discedit. Hoc enim vita
longioris spatum affert, ut plura mala videamus, plura susti-
neamus, plura perpetremus, prætereaque nihil. Ite ergò ho-
munculi, vivite, vitam vestram operose producite, seros Ar-
tephi annos Et mille etates optate, quid tandem acquisivitis?
quid produxitis? quid optatis? punctum! quid vixistis? pun-
ctum! quid tandem estis? fagus stercorum Et esca vermium,
nibile

nibilo meliores ac beatiores, quam si prima queque dies vobis
fuisse emortualis. Qvis ergo Sexus fœminei coronam
ANNAM IDAM natam SOLTOVIAM, Viri Nobilissimi
ac Consultissimi DN. JOANNIS FESTINGII, J. U.D. &
Profess. hujus Academæ celeberrimi, nec non Sereniss.
Principis Meclenburgici CHRISTIANI LUDOVICI, DN.
nostræ clementissimi, Consiliarii, Fautoris, Collegæ ac A-
mici nostri honoratissimi, conjunctissimi, uxorem dilectis-
simam jam eheu! desideratissimam, cui hodiè inviti quam-
vis, & maximô animi cum cordoliô, extremum tamen ho-
norem exsolvere cogimus, eō nomine infeliciorem esse
statuer, qvod longas ætates experiri, & Artephii exemplū
mille secula explere non potuit: Beator potius, meò equi-
dem judicio, illa censenda, qvod longæ senectæ longas mi-
serias experiri necesse non habuit, hoc præprimis tristi &
verè ferre, qvod vivimus, seculo, his postremis rerum
humanarum confusionibus, qvibus Martis Impietatis, & o-
nnium miseriarum abyssum, DEI justo judicio, Diabolus
reclusit, & Ecclesiæ JESU CHRISTI perniciem, benè con-
stitutis Politiis interitum, ac honestati morum πανολεθρία
minatur. Ut taceam gravissima illa incommoda & mole-
stias, quibus cum debilior & seqvior illa Progenies ab ipso fe-
rè Mundi exordio in hodiernum usque diem conflicti co-
gitur. Inter quas facile principem ipsa Partitudo occupat
locum, qvam justissimi Creatoris voluntas primæ generis
humani Proseminatrici Evæ, cum divinam in horto para-
dysiaco legem transiliisse deprehenderetur, per tristem il-
lam sententiam: *Multiplicabo arumnas tuas, cum ex Viro
conceperis, & in dolore paries Liberos tuos, imposuit, pro-
priamque esse voluit.* Qvas dum curatius aliquantum
me cum perpendo, horret animus, membra trepidant,
lingua

Singva titubat. DEUM enim immortalem! quantâ hic labo
bor conjunctus est cum violentia, quantis conatibus, quam
anxio studio, non solum recenter prodeuntis seu foras pro-
trusi Fusionis, sed & miseræ Matris, ut seriò dubites, haec
ne an ille prior sit redditurus animam. Sic utriqve vita
hæret in ancipi. Cæteræ animantes per ludum & jocum
pariunt, & quasi aliud agendo, fœtusque omnium matrum,
quotquot vivunt, nascuntur initius. Solus Homo per acer-
bissimum dolorem in mundanam scenam intrat. Sola Mu-
lier cum angore parit, quia id sua culpâ meruerat, ob præ-
varicationem primævam. Videtur quidem & Virorum
conditio suam molem secum trahere & difficultates, dum
opus habent in bello caput & latus hosti objicere, armis de-
cernere pro patriâ, inter creperos ensim tormentorumq;
Mavortiorum conflictus sanguinem profundere; sâpe
etiam appetere pulcrum per vulnera mortem: absq; vibus o-
mnibus fœmineus sexus singulari Naturæ indulgentia &
beneficio liber atq;e immunis positus est. Sed enim ve-
rò an dolores, anxietudines, pavore & pericula parturi-
entium cum conditione belligerantum pari lege compo-
ni & juxta æstimari possint, id arbitrabitur, qvis'qvis æq;
trutinâ sortem utrorumque ponderaturus erit. Si adju-
dicium vocaverimus Fœminas ipsas, jurabunt, labores su-
os multis parasangvis superare eos, qvos sentiunt prälian-
tes. In Bellô momento cito mors venit, aut victori leta.
Partitudo dinis dolores & angores non dicam in aliquothoras,
sed sâpè in dies integros prorogantur. Et juvenulis ac
inxperitis metus präconceptus ipsâ morte terribilior ac-
cidit. Notum est Medæ effatum, jurantis, se in primâ acie
pugnaturam multò volentius, quam paritoram semel. Tam
multiplici & improbo labore, fataliqe molestiâ, qvid mi-
rum

rum, si foemellarum corpora ita debilitantur; ut non solum
vita, quam ducunt, infirmior, langvidiorque currat, sed
etiam filum iis multò temporiùs atqve Viris præcidatur.
Et verò qvis seqviorem hanc eorum sortem non ferat con-
dolenti animo: non proseqvatut justo blandoque obse-
quio: Infelicissimos, mecastor, ferè dixerim indignos,
qvos mulier emiserit, *vitales in luminis auras*, qvi sicuti istæ
valetudinis curandæ viriumque reparandarum gratiâ exer-
citæ & enervatæ tot importunitatibus, honestâ refocil-
latione, sibi recte lauteqve facere aggrediuntur, id iis virtù
vertunt, eoque nomine velut prostibula publica, innoxias
& immerentes animas pipulo differunt per Urbem! qvi-
bus tamen vel ipsum supremum Numen indulgitatem lar-
giorem & curam liberaliorem corporis non solum non in-
vidit, sed & ultrò concessit, & vires, ut promoverent, man-
davit. Veniamus nos in rem præsentem, nec ex Seculis
præteritis in Historiarum scriptis confestim obviis exemplis
id docere, qvōd hactenus scripsimus, annitemur, qvæ sei-
licet de *Ariadnā*, quam non edito partu extremum efflasse
halitum *Plutarchus*, aut *Eudoxia Arcadii Imperatoris Conju-*
ge, quam ob partus cruciatus foetum utero marcescente
exanimatam ecclidisse, *Caspianus*; vel *Regilla Herodi So-*
phistæ nupta, quam cum utero naturæ concessisse *Cœlius* me-
morat. Præsens dies, præsens hora, graphicum & vivum
nobis ob oculos ponit exemplum, Cives Academici, suprà
nominatam Foeminam Nobilissimam ANNAM IDAM FE-
STINGIAM, quam plerique iste incommodates ita secutiæ
sunt, ut juvenilibus annis, ipso ætatis flore atqve vigore, am-
arissimâ pariendi lactâ cum tenello infantulo ex utero
materno exanimis egresso, labefactatis vitibus, corporeq;
exhausto, dejecta de statione suâ, fato immatu-
ro
acer,

acerbissimisque lacrimis deplorando, functa sit. De cuius
Natalibus, Prosaiciā atq; Vitā hactenus peractā, qvā ipse Dn.
Maritus moestissimus commentatus est, hæc seqventia habet.
Duras mihi sors lobeit, ut à Vesta Magnif. nunc exquiram
mee Conjugi memoriam, quæ erupta oculis me miserum reliquit
viduum. Sed quamvis satius amare conjugem quam ipsius
laudes meditari, quæ in eundem etiam maritum videntur redun-
dare tanquam proprie. Eta tamen regula posita coherentivin-
culo, quod si quidem infelici fato ruptum, non potest non ex
prestata pietate à memori marito propensum in laudes animum
petere. Has ergo meritissimas anime dulcissime ac piissima
tribuo, quæ mortis die eeu natali bonis prominent. Ut verò
paternus Vesta Magnif. affectus erga me Meosque sat perspectus
Sic nullus dubito, qvin vestre monitu & hortatu exequie fre-
quentiores defuncto corpori castissimo, optinez, fœminæ laudes
überiores sint futurae. Nata barnea desideratissima ANNA IDA
An. C. 1659. d. 15. Novembr., quæ conspicua animi atque cor-
poris dotibus, paternarum virtutum ex aſſe heres. Fuit ipſe
parens Vir Admodum Reverendus, Nobiliss. ac Ampliss. DN.
MATTHIAS SOLTOVIRIS Rever. Capit. Lubec. Canonicus
Senior verè regularis, vir simillimus virtuti, quem optimos
inter & innocentissimos numerarunt omnes boni. Matrem, (quæ
tristis luget filia obitum) agnouit fœminam Nobiliss. atque ful-
gidissimam ABEL PELLICERAM celebris familie matronam.
Avum paternum laudat Virum Adm. Rever. Nobiliss. atque Am-
pliss. DN. ADOLPHUM SOLTOVIUM, Canonicum itidem
Rever. Capituli Lubec. religiosissimum. Hujus parens defun-
cta proavus laudatur DN. BERNHARDUS SOLTOVIUS,
Sereniss. Ducis Holſat. Consiliarius & Canonicus Schleswic. qui
laudatissimorum Majorum amulam virtutem sic feliciter satis
transmisit ad suos posteros. Avia paterna fuit URSULA
PULSEN DN. MATTHIÆ PULSEN Patrici Norimber-

gensis filia. Proavia CATHARINA SPIESSN, ex nobili ap. Holstatos familia oriunda. Avum maternum habuit pie defuncta Virum Plurim. Reverend. atque Nobiliss. DN. ADOLPHUM PELLICERUM, Canonicum Ultinensem, atque philologum doctissimum. Avia materna fæmina in sexus sui ornamentum nata CATHARINA MULLERIA, DN. JOHANNIS MULLERI, primarii ap. Hamburgenses Civis filia, que plus quam septuagenaria vehementissime dolebit acerbum funesta nostræ domus nuncium. Proavis Maternus DN. MATTHIAS PELLICERUS, Archi-Episc. Bremens. Consiliarius & Praefectus in Trensbuttel & Wörde. Proavia. ABEL PULSEN Capitanei præstrenui filia. His orta Majoribus optima Coniux tanto conatu pietatis atque virtutum semina fore mosissimo hausti pectora, ut conjuratam unusquisque videret conjunctionem. Parentibus filia obsequentiissima, omnibus laudatissima. Hinc placuit pulcherrima Virgo, quam adamare cœpi ex mutuo amore felicissimus amator, donec Anno 1679. d. 13. Januarii solenniter deducta in meam domum fuit coniux dulcissima. Nec sterile quod optimi parentis moribundi voto de hac quam alia alius cuiusque Salute magis solliciti commendatum DEo connubium, quippe Anno 1680. d. 9. April. Lubecce natus filius primogenitus HANS MATTHIAS de cuius indole spem bonam consummare velit DEUS. Accessit alterum nostræ familiæ germen GEORGII SIMON, natus hic Rostochii Anno superiori 1682. d. 3. Junii, cui æquè à providentia divinâ auxilium supplices postulamus. Altius non progredior. Hic enim dolores obſident mentis ambitum. Tristis ergo Vestram testor conscientiam Magnif. DN. RECTOR, que fuerit defunctæ in perferendis doloribus constantia, que in committenda DEO anima pietas, que erga memorium fides, quis amor, queque erga filiolos materna affectio, erga propinquos tum obsequiosa tum studioſa propensio, erga singulos probitas.

Eece

Ecce Vobis specimen fragilitatis humanæ spectandum in
juvene Fœminâ, nondum XXIV. annos vivendo indepta,
& saltem IV. annos novemque menses conjugalem societâ-
rem experta. Qui casus quantò est inopinus magis & im-
maturus, tanto luctuosior accidit Dn. Marito jam viduo mœ-
stissimo, quem acerbè lugentem jam audivimus *Conjugem*,
natalium splendore insignem, cui virtutum igniculos natu-
ra quidem indiderat, sed quos Parentum & Majorum au-
ra afflaverat, & suscitaverat. *Conjugem*, quæ cum in Conju-
gio nimis quamvis breviita vixit, ut nunquam opus habue-
rit venire cum illâ in facellum Deæ viriplacæ, quod Romæ
quondam in Palatio tanquam pacis domesticæ custodem
erectum fuisse scribit Valerius; aut quâ cum necesse habuerit
instituere Charistia, in quibus Cognatorum & Affinium in-
terventu rixæ componerentur, sed pacatissimam eum illâ
egit vitam, in quâ utriqve idem fuit velle & nolle: *Conju-
gem*, quæ morum favitate & blandis alloquiis illum à stu-
diis lanqventem refocillavit: ac sedulitate conjugii leva-
vit onera, nec Artemisiæ, Corneliae vel Sulpitiae, vel Portiae
amoris conjugalis vehementia cessit: *Conjugem*, quæ non
Pollam, Messalinam vel Papiriam, non Xantippen vel Jeza-
belem, sed alteram Saram, Rachaelem & Abigaëlem so-
briam, nrodestam & ad nutum Mariti paratissimam se ex hi-
buit; Faunæ nullius præterquam Viri aspectu latantis, &
Bilia halitus virilis praterquam Mariti expertis, vestigiis in-
sticit. *Conjugem*, quæ Maritum Lubecâ Rostochium mi-
grantem, dulcissimè relicto patrio solo sine murmure secu-
ta est; Ibi enim cum Hypsicratea patriam, ibi opes, ibi
domicilium sibi gratum esse duxit, ubi Maritus esset. Sic
Flaccilla Nonium Priscum, & Egnatia Glicionem Maritos
etiam in ipsum usq[ue] exilium fecutæ sunt: *Conjugem*, quæ
ipsum

ipsum trium filiorum patrem fecit, quamquam in educatione
liberorum verè expertus est adjutorium fidelissimum: *Conju-*
gem, quæ dum tertium Partum felici successu se eluctatu-
ram speraret, postquam, Dn. Marico perquam dilecto ad se
vocato, divinam benedictionem & protectionem porrecta
dataque dextrâ animitùs apprēcata, valedixisset, eheu nimia
imbecillitate confecta & macerata, in mediis gravissimis
partūs doloribus & angoribus, quos tamen maximā animi
constantiam arque alacritate ad stuporem usque sustinebat,
suam & dilecti fœtūs animaliam, gemitibus indesinentibus
in manus Redemptoris & Salvatoris sui IESU CHRISTI inter-
preces & suspiria adstantium honestissimarum Matronarum,
quibus & ipse ego intereram, resignavit, atque sic Legem
divinam, sexui muliebri post lapsum protoplastorum impos-
itam, obsequenter se voluntati divinæ subjiciens, adimple-
vit: *Conjugem* denique, quæ per torum, vitæ decursum
omnibus levis, nemini gravis fuit. Quamvis autem non sine
causa tu, Vir Consultissime, Collega conjunctissime, & Vos
Orphani afflictissimi, (si jam per aetatem doloris ac desiderii
sensem habere valetis,) tuque Mater mæstissima cum super-
stitibus Fratribus atq; Sororibus hodiè qviritemini: quum
tamen sine DEI vitæ arbitri unici voluntate, quæ non nisi
ut ipse bonus est, bona esse potest, hic nihil factum esse scia-
tis, in illâ quoque acqviescatis. Ille, quod suum fuit, re-
petiit. De Thracibus, Scythis, Cantabris & Celtiberis, A-
lexander, Tibarenis *Valer. Flaccus*, & Liguribus *Strabo* adses-
runt, quod horundem Puerperæ partus doloribus adeò non
moveantur, ut Viris illarum loco decumbentibus famulen-
tur, & intantem non peperisse, sed invenisse videantur.
Validas hanc corporis vires piè defunctæ nostræ verè Chri-
stianæ & virtuosissimæ fœminæ animitùs exoptassemus.

Exop-

Exoptassemus demptæ huic vestræ, qvod à vobis omnibus,
qvos mœror hicce tangit proximè, de ea propalari potuiss-
set Christi apud Joannem sermo; Salva Uxor, Mater, Filia, So-
ror amantissima, infantulum peperit, nec propter ingens
gaudium, qvod Homo in Mundum natus est, amplius
pressuræ meminit. Ast aliter visum superis, Ferendo itaq;
vincatis oportet, qvod emendare non potestis. Lugeatis
mortuam, rectè facitis, qvi non cum funere ejusdem me-
moriā effterri conceditis. Modum autem luctui statuetis,
ne impotentia animi argui possitis. De Basilio Amerbachio,
Basiliensi JCto Zvingerus narrat, qvod, cum aliquot à par-
tu mensibus elapsis, vitæ socia Asteria, cum suō, qvem eni-
xa erat, filiolō unō eodemque Horæ momento, & paulò
post Paren̄s Magnus ille Bonifacius animam exhalasset, tri-
plex hoc funus & vulnus tantā animi constantiā tulerit, ut
nec dulcissimæ Conjugis amor, nec filioli svavissimi deside-
rium, nec Patris religiosissimi Viri memoria illum à Chri-
stianâ gravitate ullō pactō dimovere potuerint. Idem, qvō te
erigas, piæ patientiæ fulcrum & consolationis Spiritum, ti-
bi, Vir Consultissime, in iisdem ferè luctus terminis versan-
ti, precor. Tu naturali ac fatali hacce sorte non magis
commoveberis, qvām periti coelestium rerum ad Solis vel
Lunæ deliquium, qvippe qvi sideri suo claritatē suam re-
dituram sciunt. Mors naturæ deliquium est, qvo naulō
exsolutō, debitō depulsō, animæ nostræ velutisi dera pro-
deunt & coruscant. Ita & Uxor tua desideratissima, quæ
cum Paulō Apostolō bonum certamen certavit, & cursu
consummatō fidem servavit, incorruptibili cum comet
eternâ gloriæ & justitiæ coronâ exornabitur. In hâc vitâ
nihil saperest, qvod tam Uxori quam Filiolo præstari possie

præte

præter hoc unum, ut sc. Manes eorundem Exequiis decen-
tibus honorentur. Non enim puto hic Præficarum lacry-
mas precio vendentium conductione, nec edicti Prætorii
luctum Liberis ob parentum obitum indicentis, sed potius
XII. Tabul. legis Exsequialis, *Mulieres genas ne radunto,*
neve lessum funus ergo habento, renovatione opus esse. Cum
autem huic actui solemni & lugubri hodiernus destinatus
sit dies, & defunctæ Marito de Academia ac Studio in ea-
dem literis operam novante Juventute benemerenti ac dein-
ceps pro viribus merituro, totique Familiae Varniades Musæ
obstrictæ sint, adeoque nos omnes *in Christis & auxiliis*
contestari deceat, ideo rogo, moneo, horror Omnes O-
mnium Ordinum Cives Academicos, ut ad Exequias hasce
cohonestandas hodiè horâ primâ in templò Marianò fre-
quentes & agminatim confluant, quod sibi paulò post præ-
stari expetunt, primò aliis præstent, pharum Mortalitatis
nobiscum descendant, sistema rotius Machinæ terrestris, &
in eâ viventium fugacitatem & miseriam contemplentur, &
ex eâ Regiam rectamq; viam ad *misericordiam* cœlestè deducen-
tem, serìo grassari contendant, & hoc iter seständo, tum
totius Germaniæ salutem in acie novaculae versantem, tum u-
ltramq; in hac Politia vigentem Rempubl. Deo Sospitatori &
Protectori commendent. P.P. die XXV. Octobr.
Anno MDCCLXXXIII. Sub Sigillo
Rectoratus.



GK




Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn774757949/phys_0023](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774757949/phys_0023)

DFG

lingua titubat. DEUM enim immortalem! bor conjunctus est cum violentia, qvantis con anxi studio, non solum recenter prodeuntis trusi Pusionis, sed & miseræ Matris, ut seriō ne an ille prior sit redditurus animam. Sic hæret in antepositi. Cæteræ animantes per luc pariunt, & quasi aliud agendo, foetusqve omni quotquot vivunt, nascuntur mītius. Solus H bissimum dolorem in mundanam scenam int lier cum angore parit, quia id sua culpâ meru varicationem primævam. Videtur quidem conditio suam molem secum trahere & diffic opus habent in bello caput & latus hosti objice cernere pro patriâ, inter creperos ensim to Mavortiorum conflictus sanguinem profunde etiam appetere pulcrum per vulnera mortem: omnibus foemineus sexus singulari Naturæ in beneficio liber atqve immunis positus est. rò an dolores, anxietudines, pavore & per entium cum conditione belligerantum pari ni & juxta astimari possint, id arbitrabitur, trutinâ sortem utrorumqve ponderaturus er dicium vocaverimus Fœminas ipsas, jurabun os multis parasangvis superare eos, qvos sen tes. In Bellō momento cito mors venit, aut Partitudinis dolores & angores non dicam in sed sàpè in dies integros prorogantur. Et inexpertis metus præconceptus ipsa morte t cedit. Notum est Medea effatum, jurantis, se i pugnaturam multò volentius, qvam parituran multiplici & improbo labore, fataliqe mole



the scale towards document